



I, scriptore *Tullio*, pulchritudo mundi ordoque coelestium rerum confiteri cogit, esse præstantem aliquam æternamque Naturam & eam suspiciendam adorandamque humano generi, & non solum *Plato*, sed & reliqui gentilis religionis cultores, etsi Deus foret incontiguus & inconspicuus, ex hæc tamen rerum machinâ eò ratiocinando adsurrexerunt, ut viderent esse unum quid, quod foret à nullo, nec ab ullâ anteeatur antiquitate; quod solum verè sit, cæteris inde, quod sint, participantibus; quodque & cælum atque terras tueatur & regat; ac proinde hunc se cunctorum opificem, hunc universi moderatorem amare, suspicere intimoque animo amplexari ac colere perpetuò oportere: Nihil profectò commendatius esse debet homini Christiano, quàm rerum naturæ contemplatio, ut quatenus humana finit infirmitas, indagando miranda naturæ, nostris ubique usibus inservientis, ex hæc solubili & interitioni obnoxia compage, mentes attollamus ad eum, qui fecit naturam ac rebus præsidet universis: Siquidem Deus universum hoc præcipuè propter nos fecit, & quos Deus fines in nobis attendit, eos hominem considerare par est. Tanta igitur isthæc opera Dei si Paganorum mentibus occæcatis affulserunt, quantis quæso radiis in hoc scientiarum omnium meridie nobis, quos invisit oriens ex al-